



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

23. An omnes Religiosi tam Mendicantes, quam non Mendicantes, &  
Sanctimoniales etiam licitè possent obire munus Patrini in Baptismo, &  
Confirmatione? Et quid de Canonicis Regularibus? Et notatur, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](#)

# De Sacram. Confirmat. Ref. XXII. &c. 81

<sup>1. ssp. hoc quidquid in contrarium afferant Sylvius in 3. part.</sup>  
in illis Ref. 9.7.2. art. 10. Sotus in 4. dist. 4. 2. q. 1. art. 3. Sylvester  
leg. & in t. 2. verb. Marimonium 8. q. 7. & alij. \* Sed an in tali  
ut ex Ref. 9.8. sed diff. casu susceptor non confirmatus, licet non contrahat  
falsitas, cur affinitatem peccet mortaliter? Affirmative respon-  
sibus ad me dent Nughus, Suarez, & Sylvius in 3. p. q. 7.2. art. 10.  
dum, veri. sed contrarium sententiam probabilem esse ex ipsius  
etiam deducitur, ut legente patet.

3. Tertiò nota, quod susceptor Confirmationis  
debet esse alius ab illo qui suscepit in Baptismo, nisi  
necessitas aliter cogat, ut docent Doctores citati,  
quibus adde Richardum in dist. 7. q. 7. art. 2. Sed  
an fecus qui fecerit, peccet mortaliter? negativè  
respondeat Bartholomaeus ab Angel. in exam. con-  
fess. dial. 3. §. 4.5.

4. Quartò Religiosi mendicantes secundum Co-  
nich. de Sacram. 9. 67. art. 7. n. 56. possunt esse  
patrini in Sacramento Confirmationis, & Baptismi,  
quia in cap. Monachi, de consecr. dist. 4. sub nomine  
Monachorum iij tantum intelligendi sunt, qui soli  
tudinem colunt, non autem Religiosi mendicantes,  
& hanc sententiam etiam docet Chamerota de Sa-  
cram. tract. 2. cap. 4. dub. 8.

5. Sed contrarium docet Layman in Theol. mor.  
tr. 2. c. 9. n. 3. & in Synodo Panormitana Eminentissimi  
Card. ad Auriu edita 1615. p. 2. n. 3. interdi-  
cunt hoc officij genus Monachis, & Regularibus.  
<sup>1. ssp. hoc</sup> \* Non est tamen dubitandum, quod Episcopus Re-  
ligiosus compater fieri possit, ut notant Sanch. in  
summ. tom. 2. lib. 6. c. 6. n. 24. & alij.

## RESOL. XXII.

An non confirmatus suscipiens, in Confirmatione pue-  
rem contrahat cum illo, ejusque parentibus cogni-  
tionem spiritualem?

Ei quid de non baptizato in Sacramento Baptismi?  
Ex part. 3. tract. 4. Ref. 26.

<sup>1. ssp. hoc in §. 1.</sup> A Affirmativa sententiam docent noster  
Mollesius in fian. tom. 1. tract. 5. c. 2. n. 4.3.  
Sylvius in 3. p. q. 7.2. art. 10. eum Paludano, Rosella,  
Tabiena, Soto, Sa, Rodriguez, Lopez, Saliego, &  
principio, alius apud Sanchez ubi infra.

2. Sed ego alibi merito negativam sententiam  
docui, & præter DD. quos citat, & sequitur Sanch.  
de mar. tom. 2. lib. 7. disp. 6. o. n. 19. tenet etiam hanc  
opinione Reginaldus in præ. tom. 2. lib. 3. c. 20.  
n. 157. Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 2.  
& 9. n. 4. & 10. n. 4. Ugolinus de potest. Episc. c. 2.5.  
1. n. 2. Rebellius de obliq. part. 2. lib. 3. q. 6. n. 6. &  
ad me. 7. Basilius Pontius de impedim. matrim. cap. 24. §. 1.  
ver. Illud, & alij, ex cap. in baptismate, de consecr. dist.  
4. ubi sic habetur. \* In baptismate, vel in chrismate  
non potest alium suscipere in filium ipse, qui non  
est baptizatus, vel confirmatus. Et idem hanc sen-  
tentiam præter citatos Doctores tenet etiam Co-  
nich, de Sac. 9.7.2. art. 10. n. 94 ubi sic ait: Non  
confirmatus non posse tenere confirmandum, ha-  
bitur in c. in baptimate; unde patet eum invalidè  
hoc factum, qui id tentaret, quia secundum com-  
muniem sententiam Juristarum, invalidè quis id ten-  
tat facere, quod dicitur in jure non posse facere &  
confirmare, quia similiter talis dicitur non posse  
tenere confirmandum, atque non baptizatus bap-  
tizandum, at hic hot invalidè faceret: ergo & il-  
le. \* Unde sequitur, eum graviter peccatum, quia  
redderet eam cæmoniam irritam, nec contractu-  
rum cognitionem spiritualem. Ita Coninch. Non  
sunt igitur audiendi Mollesius, & alij.

## RESOL. XXIII.

An omnes Religiosi tam Medicantes quam non Men-  
dicantes, & Sanctimoniales etiam licet pos-  
sent obire munus Patrini in Baptismo, & Con-  
firmatione?

Et quid de Canonici Regularibus?  
Et notatur, quod si Abbates, & Monachi in Ba-  
ptismo, & Confirmatione aliquem susciperent, li-  
cet peccare mortaliter, spiritualem tamen cogni-  
tionem contraherent.

Nulla tamen est difficultas Episcopos, & Cardina-  
les Religiosos posse munus Patrini in Baptismo,  
& Confirmatione exercere. Ex part. 9. tract. 6. &  
Misc. 2. Ref. 31. alias 32.

§. 1. N Egativa sententia extat in cap. Licet  
dist. 1. cap. Monachi de consecr. dist. 4. cap.  
Pervenit. cl. 181. q. 2.

Sed difficultas est, an sub nomine Monachorum  
omnes Religiosi, tam Mendicantes, quam Cano-  
nici regulares veniant; & licet affirmativè respon-  
deat VViggers in 3. part. q. 67. art. 8. num. 20. qui ci-  
tat Tannerum, quibus adde Layman lib. 5. tr. 2. c. 9.  
n. 3. tamen, ut alibi adnotavi, negativa sententia Alibi suprà  
adhærent Hurtadus, & Coninch, quem novissime in Refol.  
sequitur Castrus Palauus tom. 4. tract. 1. 9. disp. unica,  
præteritam, §. 1. n. 4. & novissime Leander de Sacram.  
tom. 1. tract. 2. dist. 1. q. 16. qui citat nostrum Mol-  
lesium, quibus etiam adde, me citato, Joannes  
Henriq. in 99. præf. feb. 19. q. 7. Quia, esto, eadem  
ratio prohibitionis procedat in Religiosis Mendi-  
cantibus, & Canonici Regularibus, ac in Monachis,  
iude solum infertur, posse prohibitionem ad  
omnes extendi, non tamen de facto extensam esse.  
Non enim sub nomine Monachorum veniunt  
Mendicantes, & Canonici regulares in decreto  
prohibitorio, odioso, & correctorio. Neque item  
eadem ratio adæquat in Mendicantibus, Cañoni-  
cisque regularibus, ac in Monachis procedit: nam  
Monachis magis indecens est familiaritatem habe-  
re cum parentibus baptizati, ed quod sibi soli vi-  
vant, à secularium conversatione, & communica-  
tione separari. At Mendicantes, Canonique re-  
gulares passim cum secularibus communicant; ob  
quam causam Monachi facti Episcopi, tametsi non  
desinat esse Religiosi, à munere susceptoris non  
excluduntur: quia in eo statu constituti non sibi  
tantum vivunt, sed aliis, id est non dedecet com-  
paternitatem, tum baptizando, tum levando con-  
trahere. Et hanc sententiam tenet etiam Joannes  
Ptæpositus in 3. part. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 13. Leffius  
etiam in 3. part. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 12. Chamerota  
de Sacram. tract. 2. c. 4. dub. 8. Vide Averlam de Sa-  
cram. Baptismi, q. 69. sett. 3.

7. Verum sententiam affirmativam tenet, pta-  
ter Doctores citatos, Serra in 3. part. D. Thome, q. 67.  
art. 7. ubi si ait: [ An vero contrahat Monachus  
cognitionem spiritualem, non conveniunt omnes.  
Quidam negant: quia non est legitimus susceptor,  
sicut neconh baptizatus. Affirmant alij: quia ve-  
rus susceptor est: nam, quamvis factum prohibe-  
atur, non tamen irritatur. Monachorum autem no-  
mine quidam dicunt non comprehendendi Religiosos  
Mendicantes, qui etiam alii erudiendis vacant. Sed  
puto nec his etiam permitti susceptores esse, nisi  
forte in facultarium defectum, & de licentia suo-  
rum Praetatorum.] Ita ille. At ego utramque sen-  
tentiam probabilem esse puto.

§. 2.

3. Sed omnibus supradictis plus addit (attende, Lector), novissimè Quintanaduenas in *Theol. mor. tom. 1. tract. 1. sing. ult. per totum*, ubi probat, omnes Religiosos, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, & Sanctimoniales etiam, posse esse Patrinos in Baptismo, absque licentia, & peccato. Quia, si ob aliquam causam Religiosis non licet hoc munus, esset propter relatas prohibitions: sed hec non obstant: ergo, &c. Major est certa, cum nullam malitiam, nec indecentiam intrinsecam affert hic actus. Minor probatur: quia prohibitus in cap. *Non licet sicut & aliae juri insertae*, cum auctoritatem, aut viam præceptivam solum habent in decreto Canonico, non extra illud, ut de omnibus sapienter probat Joan. Ant. Ecclesia Mediolanensis Præpositus. *Proœm. decr. f. 1. pag. 1.* Cum igitur haec habeatur ex Concilio Altisiodorensi, celebrato anno 614. quod est Provinciale, nec à Papa approbatum, non potest omnes obligare. Et licet Generalis Concilij esset, culpam gravem non induceret, ex verbo, *Non licet: cum lepius cum illo fine ea prohibitions similes inveniamus.* Sic in eodem Concilio ann. 15. non licet mortuum super mortuum mittere; & ann. 18. non licet Presbitero, Diacono, vel Subdiacono in Ecclesia, dum Missa dicuntur, stare.

4. Praterquam quod, licet ex utroque capite graviter hac prohibito olim obligaret: modò autem non ita. Quia, cum causa illius esset, ut verbis Emanuelis Roderici, *tom. 1. q. 13. artic. 1.* utar, quam tangit quidem *Glossa d. cap. Monachi, verb. Osculentur*, scilicet, ne osculentur feminas: in quibus tangitur, ut inquit *Glossa*, consuetudo aliquorum locorum, in quibus Compates oculabantur Commatres. Propter quam consuetudinem decreverunt Concilium, & Pontifices, ne Monachi Compates fierent. Cum ergo jam haec consuetudo cessaverit, ob quam haec les prohibitives emerit; les etiam cessabit: nam legis ratione celsante, cessat quoque eius dispositio, ut ex l. *In omn. ff. de adop. l. Quid dictum, f. de patiis.*

5. Alias etiam rationes adducit Quintanaduenas, & tandem sic concludit: [Igitur, cum ex dictis, vel nullam, vel levissimam culpam committant Religiosi, etiam ex Ordine Monachali, de sacro Fonte infantem suscipientes, etiam sine causa; si haec adsit, à veniali etiam culpa liberantur; sicut qui ex causa Officii, divini tempus, & horas anteponeret, vel postponeret: vel orationes ante Sacrificium, vel post illud, juxta Missalis Rubricas dicendas, omittent, nullum committeret peccatum; licet sine illa veniale foret. Causa autem sufficiens esset petitio, aut devotio parentum baptizandi, ob virtutem, ac egregiam Religiosi famam, patriæ ulius, sumptuum excusat, alium non ita commode inventire Patrinum prole dignum, aut ad id manus nolle alium infantis baptizandi parentes adstringere, vel quid simile rationi consonum, quamvis grave non videatur. Facultas Ordinarij, licet necessaria non sit, nec Prelati regulari, nisi in Religione prohibito vigeat; expolci tamen consulam, ne Parocho aliquod documentum emergat, cui in Rituali, ac sacerdoti ex sua Diocesis Synodo indicitur, ne Religiosos ad hoc munus admittat; hancque liberaliter absque ullo scrupulo, etiam levissima ex causa, Ordinarij, ac Prelati concedere possunt.] Ita ille, cui tamen non adhæret *Lezana* in *qq. Regul. tom. 1. c. 9. num. 31. & Leander à Murcia in qq. Regul. in c. 4. ad c. 11. Regule D. Francisci*, & alijs communiter.

6. Nulla tamen est difficultas, Episcopos, & Car-

dinales regulares, posse munus Patrini in Baptismo Sup. his in exercere. Ita, me citato, & aliis docet *Lezana* in *Regul. tom. 1. p. 1.* preterea, in fine ejus, §. ult. & in

7. Nota vero, quod Doctores, qui sententiam Quintanaduenias impugnant, fatentur tamen, quod *Abbas, & Monachi in Baptismo, aut Confirmatione aliquem suscipient, licet peccarent mortaliter; spiritualem tamen cognitionem contraherent: quia citata iura non statuant factum contrarium irritum esse.* Ita *Tamburinus de jure Abbatum, tom. 2. disp. 4. q. 2. n. 2.* *Sanchez de marim. lib. 7. disp. 70. n. 21.* *Reginaldus lib. 3. num. 137.* & alij penes ipsos.

#### RESOL. XXIV.

*An in Confirmatione unus solus possit adhiberi Patrinus?*

*Et an si plures de facto teneant Confirmationatum, omnes contrahant cognitionem, quamvis non plures, quam unus vir, aut femina accedere debet?*

*Et notatur, quod Pontificale Romanum vult, quod masculi feminis Patrini esse non possint, & è contra.*

*Et queritur, an si preceptum sumendi Sacramentum Confirmationis?*

*Et an nec venialiter peccet, qui, secluso scandalo, & contemptu, hoc Sacramentum omittet? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Resol. 90.*

5.1. **A**ffirmative respondet Gaëtan Hurtadus de *Sac. marim. disp. 18. f. 4. n. 13.* ubi sic afferit: Quamvis iure antiquo, can. plures, de consecr. dist. 4. & cap. fin. de cognitione spirituali, in 6. prohibuitur, plures Patrinos in Baptismo, & Confirmatione adhiberi, & fuerit decreatum, quod si, ex prohibitione non obstante, plures essent Patrini, omnes dictam cognitionem spiritualem contraherent. Jam tamen iure novo Tridentini *sess. 24. c. 2.* permittitur, quod in Baptismo possint duo, unus, & una tenere, aut suscipere in Baptismo; ubi additur eos designandos esse ab eis, ad quos designatione spectet, & quod ab aliis ultra designatione, quamvis efficiant actus Patrini, non contrahatur cognitione spiritualis. Quod vero docet Sancius *lib. 7. disp. 56. n. 9.* nempe id quod addidit Tridentinum, & refrinxit circa Patrinos in Baptismo, etiam extendi ad Patrinos in Confirmatione, absque fundamento dicitur; ac proinde jus antiquum quod Patrinos in Confirmatione in suo robore manet. Huc usque Hurtadus.

2. Sed sententiam Sanchez tuerit P. Martinus Perez de marim. *disp. 29. f. 2. 5. n. 21.* ubi docet; in Sacramento Confirmationis posse adhiberi duos Patrinos diversi sexus, & nullum alium suscipientem, vel tangentem, præter Patrinos designatos, spiritualem cognitionem contrahere. Quia sicut manifesta mens Tridentini eodem modo utramque cognitionem refringere, ut constat ex proclamatio dicti capituli secundi, ubi declarat, velle se impedimentum cognitionis refringere. Constat etiam ex fine, ubi cognitionem ortam ex Confirmatione ad easdem personas refringit, ad quas refrinxerat cognitionem ortam ex Baptismo. Quod sane non fieret, si omnes confirmatum tangentes contraherent, cum non omnes tangentes baptizatum, sed solum designati contrahant. Sed licet hac opinio sit probabilis, ut notat Franciscus Lugo de *Sacram. lib. 3. cap. 5.*